

AD VELLEIVM 2, 129, 1

*Sed proposita quasi uniuersa principatus Ti. Caesaris * singula recenseamus.*

Aliquid, ut patet, inter *Caesaris* et *singula* desideratur: quid autem sit, quod intercidit, etsi multi in id incubuerunt, nondum satis compertum. Nam noui editores, aut Beatum Rhenanum et Burerium sequuntur, qui in editione principe (Basileae 1520) *forma* supplerunt, uelut Haase (Lipsiae 1884), Halm (ibid. 1909), Shipley (Londinii-Cantabrigae 1924), Stegmann De Pritzwald (Lipsiae 1933); aut suam quisque uiam ingreditur, ut uix duos inuenias, qui idem sentiant: *figura* Bothe (Turici 1837), *facie* Ellis (Oxonii 1898) et Hainsselin ac Watelet (Lutetiae Par. 1932), *imagine* Sinko (Eos 20, 1914-15, p. 113), *natura* dubitanter Bolaffi (Augustae Taurinorum 1930), qui tamen in textu lacunam indicat, prudentius fortasse

quam ceteri. Omnia enim, quae proponuntur, si sententiam spectes, speciem quandam ueritatis praebent, si quaeras causam lacunae, adeo nullam ostendunt, ut non intellegas cur aliud alii praeponendum uideatur. *Forma* tamen excipias, quod uerbum Rhenanus restituit tamquam hinc in posteriore sententiam illapsum: *qua ille (sc. Tiberius) prudentia Rhascypolim, interemptorem fratris sui filii Cotyis consortisque eiusdem imperii, formam (cod.) euocauit.* Sed et Ursinus (Antwerpen 1595) ex *Romam formam* corruptum esse recte iudicauit, et *Romam* ante *euocauit* seruandum ex Suetoni Tacitique locis, qui idem narrant, colligitur: Tac. *Ann.* 2,67 (*Rhescuporim*)¹ *tribuni et centuriones monendo et suadendo, et, quanto longius abscedebatur, apertiore custodia, postremo gnarum necessitatis in Urbem traxere*; Suet. *Tib.* 37,4 *quosdam per blanditias atque promissa extractos ad se non remisit, ut... Rhascypolim Thracem.* Haec est enim consili calliditas, quam Velleius laudi, uitio scilicet Suetonius ac Tacitus Tiberio uertunt, quod regem Thracem ambigua molientem ex suis finibus, ubi plurimum posset, in Urbem, ubi nihil, per blanditias euocatum coercuit, et bellum iam nascens nulla ui oppressit. Reicendum ergo quod Rhenanus defendit, irrepsisse illud *formam* ex priore in posteriore sententiam, esse igitur *forma* priore loco legendum; ex quo efficitur ut *forma* eodem numero, quo reliquas emendationes, habeamus, id est, nisi fallimur, aequae dubiam incertamque existimemus.

Equidem *tabula* coniecerim, quod et uerbi a librario omissi rationem reddidit satis probabilem, ne dicam certam, cum in easdem litteras ac uerbum subsequens desinat (*tabula singula*), et sententiam probe tuetur: confer enim, ut iisdem historiae finibus contineamur, Flor. *pr.* 3 *in breui quasi tabella totam eius (sc. populi Romani) imaginem amplectar.* Quod uerbum, *tabula* siue *tabella*, a pictura tralatum, optime cum sententiae respondet (Germanice *ein Gesamtbild des Prinzipat von Tiberius*), tum *quasi* et *proposita* explanat, alterum, quod huiusmodi uerbo solent tralationes indicari²), ut in eo Flori loco, quem supra attulimus, et apud Horat. *Serm.* 2, 1,32 s. *quo fit, ut omnis Votiuua pateat ueluti descripta tabella Vita senis*; alterum, quod *proponere* hoc ipsum ualet, ante omnium oculos aliquid, ac praesertim signa ac tabulas, ponere, ut inuenimus apud Plinium 35, 84 (*Apelles*) *perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus... ipse post tabulam latens.*

Quae omnia si ad ueritatem accedunt, sic censeo Vellei locum supplendum: *sed proposita quasi uniuersa principatus Ti. Caesaris tabula, singula recenseamus.*³)

Patavii

Alfonsvs Traina

1) De forma nominis ambigitur; de re uide E. CIACERI, *Tiberio*, Città di Castello, X 1934, p. 175 s.; D. MAGIE, *Roman Rule in Asia Minor*, Princeton, 1950, I, p. 513.

2) Deest contra *quasi* aut quid simile ap. Vell. 2,89,6 *uniuersam imaginem principatus eius oculis animisque subiecimus*, quo loco usus est Sinko (u. supra) ut uerbum a se restitutum (*imagine*) confirmaret. Sed uerbum *imago* est illud quidem tralatum, minore tamen audacia quam *tabula*, quod *imago* rem ipsam pictam, *tabula* autem materiam, in qua res pingitur, significat.

3) Vix plagulas emendaveram, cum incidi in eum locum Ciceronis, quo quae de Velleio conieceram valde comprobarentur: de or. 2,52 (*pontifex maximus*) *proponebat tabulam domi.* Iunctura enim, quam defendi, *tabulam proponere*, gravissimo exemplo confirmatur ac propius ad ueritatem accedit.